





*12.*

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> MEDICA

IN QVA

CONIECTVRAE PHYSICO-MEDICO-HYDROSTATICAE

DE

RESPIRATIONE FOETVS

IN ITALIA

TERTIO AB HINC ANNO PROPOSITAE

EXAMINANTVR

ET

QVAM

PRAESIDE

D. PETRO GERIKE

MEDICINAE PROFESSORE ORDINARIO

REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARVM QVAE BEROLINI

FLORET COLLEGA

PATRONO AC PRAECEPTORE SVO

OMNI CVLTV VENERANDO

D. XIII. AVGUSTI A. O. R. MDCCXXXX.

IN IVLEO MAIORI

HORIS CONSVENTIS

PUBLICAE DIVIDICATIONI SVBIIGIET

AVTOR ET RESPONDENS

MICHAEL CLÖTZ

WILNA-LITHVANVS.



HELMSTADI

TYPIS IOANNIS DRIMBORNII.



AVGVSTISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI  
**G E O R G I I   I I.**  
REGIS

MAGNAE BRITANNIAE FRANCIAE ET HIBERNIAE  
FIDEI DEFENSORIS  
DVCIS  
BRVNSVICENSIVM ET LVNEBURGENSIVM  
S. R. I. ELECTORIS ET ARCHITHESAVRARI  
REL.

MINISTRIS STATVS  
ET  
A CONSILIIS SANCTIORIBVS  
VIRIS

ILLVSTRISSIMIS EXCELLENTISSIMIS  
ATQVE  
GENEROSISSIMIS

VAGASISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI  
GEORGII  
REGIS

WAGANIS SILENTIUM ET PRINCIPIS ET HERMINIAE  
IDÆI DILECTIONIS ET LAVACRIS  
DACRIS  
PHILANTHROPIÆ ET LAVACRIS  
SÆTI HISTORIAS ET VICTORIAS  
JAL

MINISTRIS STATORIS  
ET COUNCILIS SVNGIORIBVS

AIRIS

MINISTRIS RECITATIONIBVS  
CENSORESVBVS

SERENISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI  
**C A R O L I**  
DVCIS  
BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM  
REL.  
MINISTRIS STATVS  
A CONSILIIS SANCTIORIBVS  
VIRIS  
ILLVSTRISSIMIS EXCELLENTISSIMIS  
ATQVE  
GENEROSISSIMIS

MAGNIS MVSARVM  
MAECENATIBVS  
DOMINIS  
SVIS GRATIOSISSIMIS  
PAGINAS HASCE IN TESSERAM DEBITAE REVERENTIAE  
ET OBSEQVII  
CVM OMNIGENAE PROSPERITATIS VOTO  
DEVOTOQUE PIETATIS AFFECTV  
HVMILLIME DICAT  
DEDICAT  
ET  
CONSECRAT  
AVTOR.

ILLVSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI  
ATQVE  
GENEROSSISSIMI  
DOMINI LONGE GRATIOSISSIMI.



uae MAGNORVM NO-  
MINVM benignitas & cle-  
mentia in omnium est ore  
atque sermone , illa timido  
quoque cuius animum ad-  
dere solet benevolentiam  
illorum literis etiam auda-  
cioribus quaerendi. Cum  
iam satis compertum sit , MAECENATES  
ILLVSTRISSIMI, VOS ea esse mente ac indole ,  
cui

cui propensa in literarum studiosos voluntas maxime propria est, & mihi etiam huius VESTRAE voluntatis adhuc eximias significationes dederitis; consilium cepi, VOBIS, DOMINI LONGE GRATIOSISSIMI, hocce leuidense specimen offerre academicum. Quod ut benigna fronte suscipere, nec non VESTRA clementia ulterius me dignari velitis, est, quod etiam atque etiam rogo, oro atque flagito. Qua fulta nixus, studiorum meorum culturam eo felicius semper promouebo, atque pro optata anno rum VESTRORVM laudabilium accessione vota mea cum magno illorum numero, qui mecum Patrocinio VESTRO validissimo amplius defendi cupiunt, coniungam, qui nunquam esse desinam

## ILLVSTRISSIMORVM NOMINVM VESTRORVM

Helmstadii die XII. Augusti  
MDCCXL.

Subiectissimus & obedientissimus  
Cliens  
**MICHAEL CLÖTZ.**



Q. D. B. V.

## DISSERTATIO MEDICA AN RESPIRET FOETVS.

J. I.

**D**isceptatum ante aliqua tempora inter Medicos fuit, an Foetus in utero matris respiret. Dederant ei quaestioni ansam quaedam ab Autoribus antiquis, prae-sertim HIPPOCRATE, de Foetus Respiratione ac Nutritione satis obscure tradita; quae tamen multis eiusmodi videbantur, ut illam affirmare neutiquam dubitarent; alii, quibus difficile erat, uti ex aliis saepe a veteribus factis, ita ex his quoque tenebris in lucem emergere, quam potissimum amplectendam haberent sententiam, haefitabant. Hodie rem hanc minus dubitationis habere existimo. Quodsi enim quis ea, quae de respirationis organis & usibus ratione & industria Recentiorum detecta & euidentissime demonstrata sunt, accurate pensaret, & cum iis conferat, quae itidem de Foetu & uniuerso eius statu certiora

A

tiora

tiora nunc nouimus: planissime is perspicet, Foetus respirationem, dum membranis adhuc obuolutus ille in utero haeret, nullo modo locum habere posse. Quae autem omnia quomodo cunque se habeant, visum tamen est Viro Clarissimo, IOHANNI BAPTISTAE MAZINO, in Gymnasio Patauino Medicinae Practicae Ordinario Professori, dogma quasi antiquum de Foetus Respiratione renouare septem Dissertationibus, sub Titulo *Coniectarum Physico-Medico-Hydrostaticarum DE RESPIRATIONE FOETVS*, in lucem Anno 1737. BRIXIAE editis. Curiosus, qua ratione Cl. AVTOR rem omni probabilitate hodie destitutam Lectoribus persuadere aggressus sit, auide perlegi, & examinai argumenta omnia, quae munidiae sententiae suae causa ab ipso proposita sunt; sed nihil inueni hoc examine, cur in noua Medicorum tantum non omnium sententia, quod nimur nulla Foetus in utero contingat Respiratio, mutantur aliquid putem. Quare cum constitutum mihi esset, Specimen aliquod Academicum publico eruditorum examini offerre, commodam hanc materiam arbitratus sum, quam industria mea & qualicunque ingenio illustrare aggrederer. Erit Lectoribus meis liberum, collatis argumentis meis cum illis, quae Cl. MAZINVS propositus, stauere, quid posteriora illa ponderis habeant, & ad quam sententiam maxime accedere velint. Versabor in hoc labore, quemadmodum veritatis, sine omni alio respectu, Studiosum decet, ita tamen, ne modestiae, huic meae aetati praesertim conuenienti, quippiam contrarium admittam. Monere vero hic statim debeo, ipsas Cl. VIRI Dissertationes inspicere, adeoque omnia ab eodem proposita examinare mihi non licuisse, et si id maxime cuperem. Sed fui tamen eo magis contentus illa recensione Dissertationum Cl. AVTORIS, quam *Nova Acta Eruditorum Lipsiensia* Anno 1740. mense Fe-

Februario publicata pag. 71 & sequentibus exhibent; quo magis constat, Cl. horum Actorum Conditores in exponentis argumentis librorum accuratam operam adhibere, & uti ex hac ipsa recensione satis apparet, nihil forte, quod magnopere ad rem Cl. MAZINI faciat, in ea omissum esse.

## §. II.

Ut vero de tota re statuere atque pronunciare eo securius liceat, fundamenti loco praemittamus quaedam, 1) de requisitis praecipuis ad respirationem, 2) de illius usu, 3) de statu Foetus in utero: ut ita, collatione horum omnium facta, eo facilius intelligatur, an respiratio in utero fieri possit, & debeat; vel an contrarium verum sit. Agamus ergo ante omnia de requisitis ad respirationem. Constat illa duplice & reciproca actione, inspiratione scilicet & exspiratione aëris. Ut fieri queat *Inspiratio*, costae superiores praesertim a subclaviis & intercostalibus musculis attollendae, & extrorsum educendae sunt, diaphragma vero versus abdomen descendere debet: ut ita cuitas thoracis uniuersa secundum longitudinem & latitudinem amplior reddatur. In diaphragmatis descensu abdominis contenta versus inferiora protrusa abdominis musculos antrorsum propellunt.

## §. III.

Aër, ut corpus fluidum, graue, & elasticum, in vacua loca, vel illa etiam, quae aërem minus elasticum, quam ipse est, continent, irruit, donec utriusque elater aequalis fiat: uti in Physicis & in Aërometria demonstratur. Ruit ergo ex Atmosphaera nostra aër per os & nares, & hinc per asperam arteriam in pulmones; si viae illae priores pateant, & conditio alterutra memoratarum in pulmonibus obtineat.

A 2

## §. IV.

¶) 4 (¶)

§. IV.

Cum integra thoracis cavitas in inspiratione amplior reddatur, aëris in illa semper praesens in adultis, dilatatur magis. Haeret autem pars illius aëris, inter pulmones & pleuram, costas & diaphragma superius succingentem: ut experimentis Physiologicis, & obseruationibus Chirurgicis constat. Pars aëris anteriori inspiratione hausti naribus & ore, post exspirationem in pulmonibus semper relinquitur. Dilatato ergo utroque illo aëre, vis elastica in eo minor fit, quam antea fuerat, aëri is ex Atmosphaera in pulmones vi maiori elastica aditum molienti cedit, intrat hic eo usque, dum ea accessione, aëris in thorace iam haerentis elater, externi aëris elateri aequalis redditur.

§. V.

Quo factō, musculi subclavii & intercostales ab actione sua remittunt, costarum cartilagineſ, ceſſante illa vi, suo elatere in priorem ſtatum ſeſe & reliqua costarum corpora reſtituunt, thoracem compressiorem reddunt, musculi abdominis ſeſe contrahunt, interiora eius ſurſum pellunt, diaphragma laxatum iterum versus pectus urgent. Fit ita thoracis cavitas minor; aëris inter pleuram & pulmones statim magis compressus, aucto hinc elatere ſuo, pulmones magis premit, comprimit, & aëris in inspiratione hauſti partem ſic rurſus expellit. In quo Expiratio conſiftit.

§. VI.

Uſus respiratio varios & egregios habet in hominibus in lucem editis per omnem reliquam vitam. 1) Naturalibus actionibus hos uſus praefat, ut alimenta reciproca illa diaphragmatiſ & muscularum abdominis actione, in ventriculo & intestinis ſatis terantur, humoribus oblata ibi diſſoluantur, his & inter ſe probe permifce-

an-

¶) 3 ( ¶

antur, ac elaborata inde propellantur; pars, sub Chyli nomine nota, in lactea vasa, pars faeculenta in intestina crassa urgeatur. Eadem vi chylus per vasa lactea in cisternam, & hinc sursum per ductum thoracicum in venam subclaviam dextram, vel interdum alias adhuc pellicitur; ut deinceps porro ad cor dextrum cum sanguine progrediatur. E dextro corde cum sanguine & humoribus e toto corpore refluens mixtus, & in arteriam pulmonalem propulsus, respirationis auxilio, in plexibus praecipue reticularibus valorum magis teritur, attenuatur, densatur, miscetur sanguini, & huic singulis circuitibus magis similis efficitur.

§. VII.

2) Animalibus actionibus praestantissimos usus respiratione exhibet, dum loquela in primis, quae ad praecipuas hominis actiones pertinet, illius beneficio maxime per agitur. Fit eadem, ut varios affectus homo commode exprimere possit, ut in risu & suspiriis. Porro aliis quoque actionibus animalibus respiratione inferuit, quae naturalibus subueniunt, & certa etiam ratione ad has referri queunt, suctioni scilicet, excretionibus variarum materialium, fputi, muci in naribus & faucibus, urinae, stercoris. Quin eiusdem beneficio homo ipse in lucem editur; dum parturiens, aërem multum inspirat & inspiratum semper diutius retinet. Adiuuat vero respiratione omnes motus animales, si praesertim hi aliquando maioribus viribus peragendi sunt.

§. VIII.

Quod tandem 3) ad vitales actiones attinet, iis, si inse spectentur, quam prioribus peragendis, quod paradoxo videri queat, respiratione minus late inferuit. Docet hoc ipse Foetus: quod manifestius apparebit, si deinceps argumentum meum praecipuum satis demonstrauero. Prae-

stat tamen a Partu vitae maxime egregium usum, eo, quod  
aer haustus inspiratione sanguinem in vasis pulmonum  
refrigerat, & humores omnes e toto corpore ad cor dex-  
trum reducti, deinceps in pulmonibus nouae semper  
circulationi actione aeris aptiores redduntur. Cum ve-  
ro propter hanc rem sanguis e corde dextro per arteriam  
& venam pulmonalem in sinistrum cor vehendus sit, ne-  
cessaria respiratio est, ut iter illi expedit: adeoque ea ra-  
tione vitae in natis hominibus proxime succurrit.

## §. IX.

Cessant hi usus omnes in Foetu. Nulla enim ani-  
malium actionum, certe earum, quas antea indicaui,  
ab illo exercetur. Naturalium actionum alia conditio est  
in Foetu, quam in homine iam nato per omnem reli-  
quam vitam. Accipit Foetus maximam humorum, qui-  
bus vita eius sustentatur, partem a matre per funiculum  
umbilicale, & quidem sanguinem in matris visceribus  
iam confectum, & deinceps pro tenelli Foetus vita con-  
seruanda aptiorem redditum in utero, atque placenta hu-  
ius. De primo enim post factam conceptionem tempo-  
re dicere, nil iam ad rem nostram attinet. Si quae  
procedentibus mensibus succi alimentosi pars ex amnio  
per os & oesophagum in ventriculum defluit, est eadem  
itidem deriuata a sanguine matris, & in utero, placenta,  
& chorio membrana digesta. Quae ergo parum muta-  
tione in ventriculo & intestinis indiget. Quodsi tamen  
pressione aliqua reciproca opus habeat, fruictur illa mus-  
culorum abdominis atque diaphragmatis actione in ma-  
tre, quae, saltim ea vi, qua in tenero Foetu opus est, ad  
ventriculum & intestina huius facile penetrat, & in vasis  
lacteis succum urget, & promouet. Qui succus cum san-  
guine ad cor dextrum tandem allatus in pulmonibus pa-  
rum, vel nihil mutationis requirit, ceu in matre, ut paulo  
ante

ante dixi, circulationi & conseruandae vitae iam satis  
aptus redditus.

## §. X.

Si vitalium tandem actionum rationem habere volamus, nullo magnopere refrigerio opus habet sanguis in Foetu semper quiescente, & in quo ille admodum tardie progreditur, & hinc nunquam valde incalescit. Neque etiam mixtio accurata noua in pulmonibus necessaria est partium sanguinis in Foetu, quemadmodum in homine iam nato; quia parum sanguinis, in via a corde sinstro ad extrema arteriarum usque secretionibus, & nil excretionibus impenditur. Accedens vero ad cor prope hepaticum cum novo sanguine matris per umbilicum accepto, & circulationi aptiori miscetur.

## §. XI.

Quemadmodum itaque ex hac tenus dictis manifeste apparet, Foetum in utero membranis adhuc inclusum respiratione carere posse, & debere; ita videmus etiam, praecipua in illo requisita ad inspirationem necessaria, non adesse. Ad sunt utique organa omnia, quibus deinceps & a Partu statim respiratio in homine peragenda est. Sed non sinit Embryonis status in utero, ut functiones suas eo tempore obeant. Non inquiramus iam curiositate, an pressio Foetus in utero a vicinis matris partibus, & reciproca diaphragmatis & musculorum abdominis in matre actio in Foetum ulla ratione permittant, ut huius costae alternis vicibus, & non synchronis cum inspiratione & exspiratione matris attolli, & an eadem ratione musculi abdominis in Foetu protrudi satis anterius queant: sine quo tamen diaphragma versus abdomen descendere nequit. Videtur autem satis vero simile, utrumque in utero fieri non posse. Sed quem in finem ea fieri de-

debeant? Interclusum a membranis, quibus Foetus cingitur, & a liquore amnii omne commercium est aëris externi cum Foetu. Uterus ipse per omne gestationis tempus regulariter accurate clausus est, & orificium eiusdem proprium obstructum quasi spissiori muco. Quare nil adest aëris, quod Foetus eo tempore haurire possit, nilque appetet rationis, quare organa respiratoria eo tempore agant.

## §. XII.

Obseruamus proinde etiam, Supremum Numen cor & vasa quaedam proxima ita in Foetu instruxisse, ut, cum per arteriam & venam pulmonalem in compressis semper pulmonibus satis expedite, & hinc omnis e corde dextra progredi ad sinistrum non queat, sed admodum parum eius per eas vias promoueatur, idem partim e linea caua statim per foramen ouale ad cor sinistrum, partim allatus ad cor dextrum, & hinc ad arteriae pulmonalis principium, per canalem arteriosum in magnam arteriam pergit. Quae insolitae alias sanguinis viae in homine in lucem edito paulatim occluduntur & coalescent,

## §. XIII.

Obseruamus praeterea, in Foetu, quocunque tempore membranis adhuc integris mortuo, nullum antea factae respirationis indicium. Pulmones ergo inde excisi, nec dum corrupti, in aqua semper submerguntur, cum a Partu, respiratione vel lemel facta, illi aquae innatare soleant. Dilatati nimirum in hoc posteriori casu ab aëre inspirato, & cum huius residua parte pulmones aqua specifice leuiores reddit; in priori vero casu compactiores, & aqua specifice grauiores pulmones docent, nil unquam aëris a Foetu inspiratum fuisse. Et quid longiori demonstratione opus est, cum, Foetus animalium cum

¶ 19 ¶

cum membranis adhuc integris in lucem editos prorsus non respirare, oculis obseruare liceat; simulac vero membranae a matre vel aliter rumpuntur, statim illi respirare incipient.

#### §. XIV.

Sed postquam argumentis, nisi omnia me fallunt, euidentissimis demonstravi, respirationem Foetus in utero nulla ratione fieri posse, & ceslare eam prorsus: iam Cl. MAZINI Argumenta proponere & perpendere institutum meum postulat. Non detinebit me diu, a qua in prima Dissertatione initium fere facit, exclamatio: *ergone talis tantusque Uterus* (ita enim legendum puto pro Foetus) *circumscribens Foetum, talis tantusque Foetus inscriptus utero priuari debent fluido aëreo, motu, elatere, ac officio tam utili & necessario?* Quidni enim recte caret re & officio, unde nullum capere usum potest? quemadmodum supra satis euici, & cuius contrarium Cl. MAZINVS nuspia demonstrat: ut ergo nil opus sit ea quasi miseratione.

#### §. XV.

Prouocat mox ad Autores varios, qui respirationem in utero fieri, vel semper, vel ultimis saltim mensibus, statuerunt. Quid vero Autorum, cuiuscunque etiam magnitudinis illi sint, aduocata nomina, sine idoneis argumentis, hodie præsertim, in Physicis & Medicis valeant, vix monere opus est. Quod vero in hoc argumen-  
to HIPPOCRATEM eumque inter primos aduocat, ma-  
xime miror. Quid enim i) verba illa Hippocratis in Lib.  
de Natura Pueri: *iuxta medium ipsius umbilicum esse & per*  
*illum primo spiritum in se ipsum trahere & foras emittere,*  
ad hoc negotium pertinent? cum per umbilicum re-  
spirationem fieri nemo hodie credat, nec ipse Hippocra-  
tes crediderit, imo nec Cl. MAZINVM statuere existimem, per

B

hanc

hanc viam aërem ad pulmones peruenire ; de qua re ta-  
men quaestio est, & quam Cl. MAZINVS ipse probare  
deinceps annititur. 2) Probe monetur in recensione ha-  
rum Dissertationum dubitari posse, an hic spiritus, quem per  
umbilicum attrahi dicit HIPPOCRATES, de aëre intelli-  
gendum sit. Certe nondum inter Sectatores & Commen-  
tatores HIPPOCRATIS conuenire potuit, quid ille spi-  
ritus nomine tum alias designet, tum ad quod genus re-  
ferri is in primis debeat, qui Foetui a materno sanguine  
communicatur. 3) Examinanti mihi Libellum HIPPO-  
CRATIS de Natura Pueri, nil quicquam is eorum ibi  
agere visus est, quae ad nostram respirationem pertinent,  
& in plane diuerso negotio cum Cl. MAZINO versari.  
4) Spiritus HIPPOCRATIS, qualis demum cunque gene-  
ris & formae sit, in sanguine matris latet, & deinceps  
Foetui per umbilicum affertur. Haeret etiam aliquam-  
diu in sanguine & carne Foetus, postea demum inde se-  
gregandus: an ad pulmones quoque deferendus ? Cl. MA-  
ZINVS ex ipso Hippocrate ostendat. 5) HIPPOCRATES ne-  
que pulmones neque umbilicum respirare dicit, sed per  
umbilicum sanguinem maternum attrahi. Audiamus  
expressa eius verba pag. 238. editionis Foësi : quicquid san-  
guinis, inquit, a matre descendit, & caro spirando ad-  
traxerit, & in incrementum cesserit, quodque utile fuerit,  
in membranarum sinus secernitur. Pag. 237. Ex delapo &  
concreto materno sanguine caro gignitur, ex cuius medio  
umbilicus exstat, per quem spiritum & incrementum recipit.  
Et paulo post eadem pagina : cum vero amplior sit spiratio,  
plus quoque sanguinis attrahit. Talem vero spirandi &  
attrahendi facultatem in quacunque hominis parte esse,  
satis constabit versatis aliquantum in Hippocratis Scriptis,  
quam si quis respirationem dicere velit, partes quascunque  
corporis, vegetabilis etiam & mineralis respirare affirmare  
queat,

queat, ceu quae omnes tali facultate secundum Hippocratis mentem praeditae sunt. (\*) 6) Partem quidem spiritus illius a sanguine materno ad os & nares Foetus, per quas vias, alii quaerant, afferi HIPPOCRATES statuit. Sed attendamus iam, quo deinceps omnes hi spiritus per umbilicum, os & nares adducti ulterius pergant; ut appareat, an recte cum illis Cl. MAZINVS vias prosecutus sit. Iuuabit hic HIPPOCRATEM iterum audire, qui ita pergit, pag. 238. *At sane superioribus etiam partibus, ore nempe & naribus spiritum trahit, & venter spiritu inflatur, eoque, inflata intestina ex superioribus per umbilicum insuper spiritum accipiunt, & assumunt, & a ventre ac intestinis in podicem, similiterque in vesicam via foras patet.* An quis inde respirationem, vel aliquo saltem modo cum solita illa, de qua tamen quaestio esse debet, eruere queat, dispiciat, cui lubet. Vidimus autem supra alias prorsus vias, per quas aér in respiratione it redditque. Sed discedamus hinc tandem ad alia.

### §. XVI.

Allegat hinc *Dissertatione secunda* vagitum uterinum, uti vocant, quem sine aëris admissione ad soni formationem necessarii concipi non licere dicit: in quo ultimo neminem facile a se dissidentem habebit. Sed salua fide Autorum, qui vere annotare illum sonum potuerunt, suspicari liceat, in camera forsan, ubi is excitatus sit, aliquantulum illos errasse, & quam e vicinis utero aliquam, seu intestinum aliquod fuisse non improbabile videtur. Pullos ultimis diebus in quis pipire, nemo forte nescit, & fieri hoc debet, ut gallina fouens oua admoneatur de perforando cortice, quo Foetus maturus exitum inueniat. Adeo in eum fi-

(\*) Vid. tantum ipse hic libellus de Natura pueri.

nem in cavitate, quae in obtusiori ovi parte, ubi caput & rostrum consistit, eo major visitur, quo pullus exitu proprior est, aër (\*) quem haurire pullus queat, & e succo pro ratione, qua is in nutrimentum pulli impenditur, calore facile sedens. Nil tali vel alio sono monendum haber Foetus humanus; quare etiam nullo simili artificio in utero matris opus erat. Ut vero differentia, quae inter Foetum in utero matris formandum, & pullum in ovo iam excluso perficiendum intercedit, nil distin<sup>c</sup>t<sup>e</sup> contra Cl. MAZINVM probat: ita nil magis instruit hic Lectorem ea responsione, esse scilicet illam differentiam tantum accidentalem & extrinsecam, non essentialem. Ad rem enim ipsam veniendum & ostendendum erat, quae in pullo & Foetu humano similitudinis, vel dissimilitudinis ratio inueniri posset: nec analogia inter homines & bruta, quae certe alicubi obseruatur in generalioribus, in specialibus negotiis plus saepissime nos adiuuat, quam ut, detecta aliqua re in animali corpore, tanto maiori cura ad examen humani corporis progrediamur. Allegat ultimo loco in hac Dissertacione Cl. HIERONYMVM VANDELLVM, qui aperto foetu mortui in ipsis uteri angustiis, mediante cultro thorace, ac abdomen, ex utraque cavitate aërem cum strepitu exire, una cum adstantibus percepit. In qua obseruatione, cui geminae aliae, si circumstantiarum ad rem nostram nil pertinentium nullam velimus habere rationem, non adeo rarae sunt, nihil mirum videri debet; siquidem ubi humores adsunt, vel vapores, qui in omnibus cavitatibus corporis humani dantur, inde aër post mortem, relictis aqueis particulis collectus praesertim paulo copiosior, erumpere potest. Quae nisi vera ratio in illo quoque casu fuerit, quare ex ab-

(\*) Vid. de ea FABRICIVS ab Aquapend. de formatione ovi & pulli p. 30. sqq. in Operibus.

abdomine etiam aër cum strepitu exiit? & si is respiratiōnis factae indicium esse debet, cur non eodem quis iure concludat, & in abdomine foetus illius, aequē ac in pectorē contigisse respirationem? Ut non moneam, non intelligi ex illa obseruatione, an illaes pulmonibus, aër e pectorē eruperit. Quodsi forte contigit, nil eadem ad respirationem pertinet, cum hac pulmones, non cavitās inter pleurām & pulmones, aërem hauriant.

## §. XVII.

*Tertia Dissertatione* e principio vero, sed uti mihi videntur, non recte applicato, negotium suum non magis feliciter expedit. Demonstratum certe abunde adhuc est, aërem vi sua elastica niti quaquaversum, & in loca vacua irruere. Sed 1) viae semper adsint oportet, aditum aëri concedentes ad locum vacuum, si pondere & elatere suo huc peruenire velit: quales ergo nisi quaedam pateant ad os & nares Foetus, nil aëris eo penetrabit. 2) Adeſſe vacuus circa Foetum locus debet, quem aër undecunque ad ductus occupet: sed qualem humor amnii Foetum cingens ibi existere prohibet. Evidem ut euincat, dari talem vacuum locum, affirmat, Foetum uteri cavitatem non exacte replere; & quamuis hac de re sensuum iudicio constare queat, & satis constet, contrarium verum esse; manuult tamen ex Foetus incremento continuo argumentum ducere, non accurate Foetum replere uterum; cum, si repleat, crescere non possit. Sed nescio, cur Cl. AVATORI nostro, ut alia nunc taceam, in mentem hic non venerint cerasa & fructus Armeniaci. Crescunt in illis cortices, etiam si a pulpa exacte cingantur, & quod magis est, crescunt in illis nuclei, non obstante sat duro putamine, in quo certe ab initio exactissime clausi haerent. Crescit ergo Foetus in utero tanto facilius, quo magis fibrae huius omnes dilatabiles sunt, & a Foetu in ipso augmen-

ti actu facile dilatantur. Sed non satis fuerat, de loco vacuo in utero dispicere; demonstrandus is praeterea accurate circa faciem Foetus. Minus forte 3) necesse fuit, in originem aëris, pro respiratione Foetus aduehendi, multis inquirere, cum neque per quas vias, nec in quem locum, neque in quos usus, deferri debeat, Cl. MAZINVS offenderit. Deriuauit tamen is ortum & accessum aëris maxime a fluidis, quae a matre ad Foetum pro eius nutritione afferuntur, partem vero ab amnii humore. Esse autem addit fluida haec omnia aëre turgida, eumque a calore rarefactum inde egredi, ut preebeat materiam respirationis. Sed quod 1) ad fluida a matre allata attinet, non indicat Cl. AVTOR, an, & quae diuersa illa ab amnii humore intelligat, ac si diuersa illa sint, locum non indicat, ubi, & an in vasis, vel extra vasā ea separatio aëris contingat. Ceterum 2) vulgaribus etiam obseruationibus satis constat, exhalationem aëris e fluido corpore fieri non posse, nisi aër vacuum locum inueniat: qui cum inter amnii humorem, & Foetus faciem, ut aliquoties iam monui, non existat, nihil quoque aëris ex amnii humore eo exire potest. Quod vero insuper externum accerbit aëreum fluidum, huic, ab utero clauso via quoque praeludia, nec pro illo locus ante faciem foetus vacuus relictus est. Ex quibus omnibus satis appetet, nullibi Cl. AVTOREM reperiisse & recte demonstrasse aërem, cuius beneficio respiratio in Foetu inchoari possit.

### §. XVIII.

Ultimo loco in hac Dissertatione allegat, suctionem Embryonis, quam plerique admittant; hanc vero in natis hominibus sine aëris attractione, thoracis dilatatione, & diaphragmatis depressione cum fieri non posse constet, eadem ratione illud in nondum natis succedere putat.

Si

Si vero costarum eleuatio & diaphragmatis depressio  
indeque pendens thoracis dilatatio fiat sine aëris in  
pulmonem ingressu, & aliquali huius expansione, vacu-  
um in thorace spatiū admittendum esse, quo ipso  
aequilibrium inter externum & internum aërem cum  
summo Foetus discrimine tollatur. Ad quod pau-  
ca haec respondeo: α) Si veritatis amore, & bonae cau-  
sae fiducia, argumentum aliquod tractatur, magis conue-  
nit, proposita omnia dubia veris rationibus munire, quam  
ex concessis ab aliquibus inferre aliquid: quale artificium  
tunc forte excusari potest, quando victoriae obtainendae  
causa cum aliis disputatur. β) Supersedere omni labore  
suo in septem hisce Dissertationibus poterat Cl. AVTOR,  
si ex suetione infantis tanquam re certa & concessa infe-  
rendam respirationem satis putasset. Ecquis enim homi-  
num nescit, sine respiratione nullam fieri suetionem posse?  
γ) Uti vero sic ex suetione breuissima via ostendi potest,  
respirationem fieri, ac si haec fiat, esse eleandas costas  
& deprimentum diaphragma; ita non video, cur Cl. AV-  
TOR via retrograda e suetione thoracem dilatari & dia-  
phragma deprimi argumentetur, & hinc vacuum de-  
mum, & necessitatem, illud aëre replendi, seu respiran-  
di deriuet. Ad ea, quae pluribus urget, ut ostendat, ne-  
que succum nutritium per oesophagum descendere, in  
ventriculo mutari, & ad vasa lactea transire sine aëris  
elastici accessu commode posse, respondere mihi iam di-  
stincte non licet, cum illa in *Actis* non memorentur.  
Contingunt vero haec omnia respiratione matris, quem-  
admodum supra iam exposui, qua etiam succus nutritius  
ad Foetus os & sic ulterius propellitur.

## §. XIX.

*Quarta Dissertatione*, qua commoda recenset in Foe-  
tum

tum ab amnii humore redundantia, nil ad praesens negotium pertinet, et si varia in illa proponantur, quae paucissimis forte Lectoribus persuadebunt. Sed, missis illis, ad *Quintam Dissertationem* progrediemur, in qua potiores obiectiones, quemadmodum in *Actis* vocantur, remouere conatur. Erit autem, si quis ea, quae hactenus de hac re dixi, cum mox adducendis obiectionibus conferre velit, ad iudicandum facile, an hae potissimum contra CL AVTORIS nostri sententiam pugnant. Sed videamus viae, per quas aër ab utero ad Foetum possit peruenire: quam non magni momenti esse censem, cum tales viae a BELLINO in ovis volatilium repertae sint. Sed obser-tato argumentationem fieri. Ostendi quoque ibi, pullos inspirationem in illis adesse debent: ad quæ an BELLINI viae pertineant, nil refert iam inquirere. In Foetu humano, cum is non respiret, viis illis prorsus non est opus, & frustra eadem quaeruntur. Forent praeterea tales ductus prorsus inutiles, nisi per amnii humorē exporreūti aërem ad Foetus ferrent, vel potius ad cauum aliquod ante huius faciem. Videtur ei aequē leuis momenti allegata a nonnullis uteri obturatio, interuentu tenacis glutinis; quare hoc remouet, sed verbis tantum, ne aëri ingressuro obstet. Sed dubito, an quicquam profecturus sit hac sua negatione contra tot aliorum obseruationes. Quodsi ipse mente non concipi posse existimat, quomodo tam crassus humor hic colligi queat in parte undique visceribus humidis & calidis circumdata, a quibus illa necessario attenuari debet: responsionem paratam habebunt Observatores, oblatum scilicet sibi talem mucum esse in cervice uteri. Nec res insolens est, humores quosdam a calore magis inspissari; cuius

cuius rei exemplum inter alios praebet mucus in humano corpore alibi generatus. Intromissus autem forte in uterum aër, quomodo deinceps ulterius ad Foetum perueniet? BELLINI enim vias frustra, nec satis apte in hominibus fangi, antea ostendi.

## §. XX.

Metum vero, ne Foetus ab aëre accidente suffocetur, utique inutilem esse, cum Cl. AVTORE nostro statuimus, sed aliis rationibus permoti. Praestat enim, a re nec existente, nec futura metum non concipere, nec aliis facere: quem in hoc negotio ponendum suaderem, si forte quis euidentissime demonstraret, respirationem Foetus fieri, vel ideo, quod omnes in lucem cum vita editi homines satis doceant, nil hic timendum esse. Obstat tamen sententiae Cl. AVTORIS nostri de Respiratione Foetus inter alia grauiora argumenta & hoc, quod metus illius causas in hoc casu non remouit. Quando enim in responsione sua concedit, nimiam aëris copiam irruentem tale periculum inducere posse, maius hoc facit, quam altera responsionis parte id tollere queat; a moderata scilicet per suas vias intrante aëris copia, iterumque eliminata nil periculi esse. Nam notaui iam, tales eum vias non demonstrasse, & frustra in humano utero quaeri. Quodsi vero adsint, quid eas compressas undique & praecipue ab amnii succo apertas semper seruaret, ut aëris itum & reditum tempore semper admitterent? nisi osseae, vel cartilagineae sint. Quare si aër ex amnii humore & aliis fluidis continue exhalans, vel aliunde allatus pulmones ingreditur, ex Cl. AVTORIS nostri sententia: (conf. §. 17.) necesse est, nimiam tandem eius copiam eo peruenire, & periculum tale inducere; nisi alias ei vias quaerat, per quas exire rursus queat. Est autem & hoc ex Cl. AVTORIS hypothesi, pectus ita dilatari posse, ut aërem

C

admit-

admittat. Nam ipse rem hanc minime probabilem esse, supra paucis, sed satis monui. Apparet autem facile, de foraminis oualis usu temporario in utero, & respiratio-  
nis initio, ex arbitrio Cl. AVTOREM disposuisse. Quod enim affirmat, usum illius foraminis potissimum esse, antequam pulmones perfecti, & ad respirationem idonei tacti sint; his vero rite paratis, statim illam pro mo-  
dulo Embryonis inchoari; quibus argumentis Lecto-  
ri persuadebit? & quid aliud foramen ouale cum cana-  
li arterioso apertum semper in Foetibus mortuis in utero  
obseruatum indicat, quam per omne gestationis tempus  
sanguinem per has vias ferri, cum eadem post partum  
in infantibus paulatim & haud longe tempore occludan-  
tur: docentibus itidem obseruationibus in mortuis infan-  
tibus. Quando tandem Cl. AVTOR negat, pulmones san-  
guine destitui; cum illos aequa floridos & sanguine reple-  
tos deprehenderit, ac in natu; non satis intelligo, contra  
quos hic pugnet; siquidem, quos ipse consului, Autores  
omnes affirmant, pulmones Foetus repletos inueniri ma-  
gis sanguine, quam natorum, & eo magis, quo pauciores  
menses Foetus attigit.

## §. XXI.

*Dissertatione sexta* experimenta hydrostatica propo-  
nit, quibus confirmet, pulmones Foetuum in utero quan-  
dam aëris portionem pro aliquali respiratione recipere,  
& simul problema felicius, quam adhuc factum est, sol-  
uat: cur pulmones Foetuum in utero mortuorum subsi-  
dant in aqua, in lucem vero editorum eidem supernatent.  
Quae enim vulgo diuersitatis huius allegatur ratio, & a  
me quoque superioris allegata fuit, defectus nimirum aëris  
in Foetus pulmonibus, minus ei visa est sufficiens. Ne-  
gotium ergo hydrostaticis tentaminibus optime confici  
posse arbitratur. Immersis proinde pulmonibus Embryo-

¶ 19 ¶

num diuersa aetate in aquam, pondus statera, & ita specificam cuiusuis grauitatem exploravit: quam eo semper minorem reperit, quo Embryo plurium mensium fuit. Cuius rei nullam aliam ex legibus hydrostaticis allegari posse rationem putat, quam aeris successuum in illos introitum: cum ex illis constet, eleuationes corporum in aquis esse quantitati aeris aut contenti, aut suscepiti, proportionales. Sit ergo verum, pulmonum grauitatem specificam cum aetate in Foetibus minui: de qua re eo minus dubito, quo frequentius ab aliis iam obseruatum fuit, (\* ) illos paulatim mollescere, rariores & pallidiores evadere. Quomodo autem Cl. AVTOR 1) euincet inde, ab ingresso aere illam maiorem pulmonum raritatem prouenire? Lex certe hydrostatica id nulla docet: et si experientia hydrostatica & ea quae de aere nota sunt, doceant, ab hoc, si in corpore quodam adsit, ipso specificice grauiori, densitatem illius, & hinc pondus & grauitatem specificam minui. Notum est praeterea & Physicis & aliis experimentis, caloris materiam, fluidum quocunque, & in genere corpus quocunque specificice leuius admixtum corpori specificice grauiori hoc leuius reddere. Quia vero ratione in quoouis casu corpus aliquod rarius & specificice leuius sit factum, non experimentis hydrostaticis, sed aliquam partem euincendum semper est. Sed si forte ex aliis probabilitatibus reddi queat, illam pulmonum in maioribus Foetibus raritatem maiorem ab aere prouenire, quam ipse causam illius aliquam esse puto: 2) non tamen sequeretur inde, in pulmonum cavitate statui illum aerem debere magis, quam in sanguine pulmonum, cum aetate plus eiusdem semper admittente. Quod tandem 3) ad regulam hydrostaticam illam atrinet: eleuationes corporum in aquis esse quantitati aeris contenti aut suscepiti proportionales, nimis

C 2 vereor,

(\*) Vid. DIEMERBROCK Anat. Lib. II. cap. 13.

vereor, ut illam Mathematicis approbare queat siue experimentis, siue rationibus. Quae tamen si vera etiam foret, non nisi in iis casibus valere posset, in quibus densitas & raritas, & hinc eleuationes in aqua ab aëre producuntur: cum alias etiam illae rationes habere queant: uti n. i. monui. Nec magis confirmant ea, quae de tardiori descensu pulmonum maiorum e Foetibus exsectorum in aquam, quam iuniorum, & adscensu illorum in aqua agitata celeriori addit, diuersitatem hanc ab elatere aëris, in pulmonibus, aut potius in cauitate illorum, quam in sanguine pulmonum contenti deriuandam esse. Sed neque appetet nunc, quomodo problema: cur pulmones Foetuum in aqua submergantur, natorum vero ei supernant, felicius solutum sit.

## §. XXII.

*Ultima Dissertation*, quae causas exponit, cur Foetus perfectus ex utero quoerat, & quibus mediis claustra sua perrumpat, parum continet, quod ad nostram rem pertineat. Non praeterendum tamen mihi est, quod de plenioris respirationis necessitate afferat, quarum inter causas allegat, cur Foetus exitum quoerat. Occupet fane hunc locum, quem mereri videtur, sed fine additamento: plenioris, & quæstionis ita mutata; cur Foetus ex utero maturus exire debeat: cum in Foetu respirationem aliquam factam iam esse non demonstraverit. Ad rationem autem præcipue attendamus, qua necessitatim illam probat. Vesiculae nimirum, ut existimat, ultimo momento ab aëre admisso (in inspiratione) magis expanduntur, & ex sphagroidea ad sphaericam figuram magis accidunt, ad maiorem aëris quantitatem recipiendam. Sed iis etiam, quae alias in his Dissertationibus ab Cl. AVTORE dicta sunt, consistere queant. Respirat ex eius sententia Foetus in utero, & semper expanduntur. Iam aëris respiratione haustus momento ante partum, vesiculas illas ita distentas replet proflus, vel minus. Si replet proflus, vesiculas ab aëre non expanduntur ad maiorem aëris qualitatem recipiendam. Si non replet, vacuum in thorace spatiū admittendum est, cum Foetus summao discriminē, secundum Cl. AVTOREM nostrum, & contra aëris naturam, ut ipse docuit Dissertatione tertia. Sed indigeant pulmones ex quacunque alia ratione minori aëris quantitate, non certe inde patet, quomodo necessitas ea Foetum ita disponat, ut exitum ex utero ad hauriendum illum moliatur.

S. D. G.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
RESPONDENTI SVO

S. P. D.

PRAESES.

Ad Medicinam vere rationalem, hoc est, solidam & certam reddendam, disciplinam naturalem & mathematicam, quaeque aliae ad priorem referri queunt, non prodesse modo multum, sed etiam prorsus necessarias esse, tum verbis, tum ipso facto multi praestantes Medici recentioribus temporibus demonstrarunt; siquidem vel illam uniuersam, alii partes eius aliquas harum disciplinarum auxilio ita politas & emendatas fliterunt, ut nemini dubium sit, in veteri & noua Medicina versato, illi hanc multum antecellere. Sunt sane omnes eae disciplinae Medicinae inutiles, & in hac ad iactationem allegantur, nisi quis applicandis iisdem ostendat, emendandae & perficiendae Medicinae vere illas inseruire. Obsunt vero etiam Medicinae, si huic non satis caute & dexter applicentur. Sed idem nil minus valet de obseruationibus medicis & ad Medicinam pertinentibus, in quibus multo omne artis medicae praesidium collocant, si illae vel non satis curate instituuntur, vel non satis caute conquistae, vel intempestive allegatae, stabiliendis veritatibus in Medicina adhibentur. Quare, ut nosti, non modo Auditores meos, saepius moneo, ut utroque illo subdio, & quod obseruationes, & quod disciplinae omnes theoriae, hoc est, rectae rationi in Medicina, inseruentes, huic studio praebere queunt, sibi aliquando utendum putent: sed etiam, ne frustra illa commendem, & doceam, quomodo in ipsa applicatione recte versandum sit, id lectiōibus meis omnibus & theoreticis &

pra-

practicis sedulo ago, ut usum illorum subsidiorum vere & manifeste cognoscant. Persuasi & Tibi huius rei veritatem. Quare ex quo tempore in nostram accessisti Academiam, mathematicarum & naturalium disciplinarum studium, semper cum Medicina coniunxit, ut banc felicius addiscere & aliquando exercere posse. Ut publice specimen aliquod, quid hac Tua industria profeceris adbuc, ederes, examinandum putasti quaectionem non quidem nouam, sed nouis tamen argumentis physicis, medicis & hydrostaticis non ita pridem a Viro Cl. in Italia illustratam. Evidem commen-  
ut veritates utiles argumentis idoneis stabilire, quam in re-  
fellendis aliorum dictis occupari malint. Est tamen ille mos  
non adeo rigorose semper servandus, ut nunquam ab eo di-  
scendendum sit. Et pertinet aliquando ad firmamentum ve-  
rae doctrinae, dubia, quae ei opponuntur, explicata remoue-  
re. Est vero haec controversia ita in hac dissertatione a Te  
tractata, ut offendendi causa minime eam esse conscriptam  
facile appareat. Et quae offensionis rationes forent? Va-  
lere tamen apud Te potissimum debuit veritas. Quare, quae  
ab hac aliena Tibi visa sunt, verbis proposito Tuo apud Tibi  
exponenda fuerunt. Nil iam superest, quam ut Te borter,  
velis in eo studio, quod dudum ingressus es, omni industria,  
quam adbuc cum reliquis moribus Tuis Nobis approbasti,  
pergere. Non enim auditu tantum percepisti, sed, uti arbit-  
rор, experiundo etiam cognovisti, indefesso per totam viam  
studio opus esse, si quis Medicus disciplinas, in usum Medic-  
iae adbuc adhibitas, non ad ostentationem addiscendas ex-  
istimauerit, sed ad scientiae suae emendationem, amplifica-  
tionem, & hominum salutem, quantum possibile est, rectius  
tuendam, probe uti velit. Ita vale! Dab. in Academia Ju-  
lia. A. O. R. MDCCXL. d. 9. August.

**Q**uam vigili semper, charissime amice, labore  
Rimatus fueris docta reperta coi;  
Indicat hoc specimen clarum, quod praefide claro  
Proponis doctis non sine laude viris.  
Gratulor ex animo, si perges, digna labore  
Præmia, quod voveo, patria chara dabit.

Ita Clarissimo Domino Respondenti, Amico  
suo æstumatisissimo sincere gratulatur  
**F R I D E R I C V S S T E I N,**  
I. V. C.

Gawesta-Prussus, Opp.

**S**edulo tractantem Musarum & Apollinis artes  
Excipiunt laudes, gloria, lætitiae.  
Hoc, *Duce sub Docto*, Musarum pulpita scandens,  
Laudibus ornatus, Dulcis Amice, probas.  
Gratulor ex animo, doctos Deus ipse secundet  
Nifus, quo cedant prospera quæque *Tibi*.  
Perge *Tuis* scitis docta prodeße cathedræ;  
Sic capies studiis digna brabia *Tuis*.

Hisco Viro Nobilissimo ac Ornatissimo Au-  
ctori ac Respondenti Dissertationis huius  
Perekini, de publico eruditio[n]is speci-  
mine gratulari & Amicum suum impense  
dilectum amplexari voluit  
**DAV. SCHE UNEVO GEL**, Libav. Cur.

**C**omprobat hocce *Tuum* specimen, *iunctissime*, doctum,  
Ardua quod solers impetrat ingenium.  
Quam solide Foetum non respirare probasti  
Depulsis dubiis omnibus inde datis.  
Laudes, queis dignus, dignas *Tibi* spargere, vires  
Deficiunt, obstat Foetus amicitiae.  
Iam sed amicorum mea iungens gaudia votis,  
Apprecor: *ut spires sorte favente diu.*

Haec amicitiae causa adiecit  
**DIONYSIVS DOERING**  
Lesna-Polonus. Opp.  
Splen-

D

**S**plendida IVLEI scandis dum pulpita nostra,  
Armaque Poeonia doctus in arte moves,  
Dumque triumphales redimunt T V A tempora lauri;  
Adscribit titulis talia Musa T V S:  
Quam negat ars vitam, dabit hanc T I B I fama perennis,  
Effugit haec moestos non moritura rogos.  
Omina nec defunt, viridi nam surgis ab aevo,  
Aureus ut rutilus Cynthius ortus aquis.

Egregium eruditionis specimen Prænobilissimi  
ac Doctissimi Domini Respondentis, magna  
admirazione prosequitur & ipsi gratulatur  
C. F. UDE N, Osterburg. Palaeo-March.  
Med. Cult. Opp.

**T**emperiem coeli Medici scrutantur humumque,  
Et iuvat amborum veras cognoscere vires:  
Serviat hinc opto tellus T I B I, serviat aether,  
Altera divitiis fatis felicibus alter.  
Sic veniente die, sic decadente sub umbras,  
Vespera Te faustum, Te faustum cernat Eous.

Memoriae & amicitiæ ergo adiecit  
**HENRICVS IOANNES CVNO,**  
Wettino-Magdeb. L. L. Cultor.



Helmstedt, Diss., 1738/41

X 2309199





DISSE~~T~~ TATIO MEDICA  
IN QVA  
CONIECTVRAE PHYSICO-MEDICO-HYDROSTATICAE  
DE  
RESPIRATIONE FOETVS  
IN ITALIA  
TERTIO AB HINC ANNO PROPOSITAE  
EXAMINANTVR  
ET  
QVAM  
PRAESIDE  
D. PETRO GERIKE  
MEDICINAE PROFESSORE ORDINARIO  
REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARVM QVAE BEROLINI  
FLORET COLLEGA  
PATRONO AC PRAECEPTORE SVO  
OMNI CVLTV VENERANDO  
D. XIII. AVGUSTI A. O. R. MDCCXXXIX.  
IN IVLEO MAIORI

HORIS CONSVENTIS  
PVBLICAE DIVIDICATIONI SVBIICIET  
AVTOR ET RESPONDENS  
MICHAEL CLÖTZ  
WILNA-LITHVANVS.

HELMSTADI  
TYPIS IOANNIS DRIMBORNII.

